



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

Inhaltsverzeichnis

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

Genesim libros tredecim: mysticarum Homiliarum libros duos: in Exodo Excerpta: in Levitico Excerpta: A
item Monobiblia, & c. ap̄tōv libros quatuor, De resurrectione libros duos, & alios De resurrectione
Dialogos duos. Quid sint Monobiblia incertum est. Fortasse non peculiare aliquid Origenis
 opus hoc nomine signatur, sed ea ejus Opuscula, quæ nos Syntagmatum appellatione
 complectimur. Cum enim Exegetica enumerasset Hieronymus, tum in unam classem
 Syntagmata conjicit, ad eaque suo ordine percensenda accedens, *item*, inquit, *scripsit Mo-*
nobiblia, & c. ap̄tōv libros duos, & c. quasi dixisset: Item sequentia scripsit Syntagmata (quæ
 & Opuscula deinde Rufinus appellat) nempe libros *& c. ap̄tōv*, &c. Atque hæc, quod non
 aliorum librorum causa essent elaborata, nec alijs adjungenda essent libris, cujusmodi
 erant Exegetica; sed proprio continerentur argumento, & circa peculiarem sibi materiam
 versarentur, ideo Monobiblia appellata sunt. Sed hæc pro conjectura haberi volo.

Ad postremum Vincentius Bellocensis Speculi doctrinalis libr. 18. cap. 43, Origenis
 lucubrationes quæ ad sua pervenerant tempora enumerans, sic auspicator: *Apologia pro*
se, tractatus 1. Doctrinæ quidem suæ defensionem ad Fabianum Papam misisse Origenem
 supra notavimus: an ea his significetur Vincentij verbis, an aliud quippiam opus Lector
 perspicax arbitretur.

XI. Minime vero in hunc censum conferenda videretur esse Philocalia, ut quæ à Basi-
 lio & Gregorio Theologo confuta & confarcinata sit. Quoniam tamen ex Adamantij
 pannis tota contexta est, & ex ventilatis supra Origenis Operibus fere detracta sunt fra-
 gmenta quibus illa constat, ideo non pro diverso aliquo opere habenda est, sed pro Ori-
 geniano tantum centone, in quo Origeniana omnia sunt præter contextum: proptereaque C
 in hanc seriem à nobis admittetur.

SECTIO SECUNDA.

DE ORIGENIS SYNTAGMATIS QUÆ SVPER SVNT, DEQUE VETVSTIS LIBRORVM & c. ap̄tōv INTERPRETATIONIBVS.

I. Agitur de libris De resurrectione, II. *& c. ap̄tōv*, eorumque vetustis interpretationi-
 bus, III. *πρωκρητισμός*, IV. Protreptico ad martyrium, V. libris contra Celsam, VI. Episto-
 lis, VII. libro De Oratore, VIII. & Philocalia.

I. **E**X enumeratis proxime Adamantij Syntagmatis fere omnibus, vel toti libri, vel
 insignia fragmenta, vel particulae aliqua ad nostra tempora pervenerunt. E libris
 quidem De resurrectione primo & secundo fragmenta aliquot deponit Pam-
 philus in Apologeticis, ad septimam depellendam criminationem, qua de resurrectione
 male sensisse Origenes dicebatur. Ex eodem quoque Opere, capitis decimi libri secun-
 di *& c. ap̄tōv*, fatente ipso Origene, pars aliqua translata est.

*Orig. lib. 2.
 De princ.
 c. 3.
 Bar. A. 232.
 cap. 4.*

II. Baronius libros *& c. ap̄tōv* ad exemplum Longini elaboratos ab Origene suspicatur.
 Longinum siquidem huius tituli librum scripsisse refert Porphyrius in Vita Plotini. Si
 quis è contrario Longinum asseruerit operis sui argumentum ab Origene summissè, à vero
 Longino non abibit; aque enim utrumque incertum est. Libri inscriptionem parum asse-
 cutus est Rufinus, qui in Prologo ad libros *& c. ap̄tōv* reddi eam posse dicit *De principis*, vel
De potentibus. Quis vero non intelligit Christianæ religionis, ac veræ Philosophiæ elemen-
 ta hoc libro tradere propositum Origeni fuisse? Quamobrem revera sunt, ut subjicit Rufe-
 nus, & obscurissimi, & difficillimi. Addere poterat; erroribus quoque, & *ἀσάφειαν γνώσεως*
 seminibus fertillimi: in iis quippe præcipua dogmatum suorum fundamenta Origenes
 posuit. Quocirca Didymus brevibus eos illustravit commentariolis, Rufinus vero Roma-
 na loquela exposuit. Verum ut errorum suorum capita in hac lucubratione conclusit Ori-
 genes, ita in eadem mala suæ & fluxæ penitus in interpretando fidei egregium specimen F
 edere velle visus est Rufinus: sic enim fatur in Prologo: *Sic ubi ergo nos in libris eius (& c. ap̄tōv)*
aliquid circa id invenimus, quod ab ipso in cæteris locis pie de Trinitate fuerat definitum, velut
adulteratum hoc & alienum, aut prætermisimus, aut secundum eam regulam pronuntium, quam ab ipso
frequenter invenimus assertam. Si qua sane velut peritis jam & scientibus loquens, dum breviter
*transire vult, obscurius protulit; nos ut manifestior fieret locus, ea qua de ipsa re in alijs eius libris ap-
 pertius legeramus, adjecimus explanationi studentes: nihil tamen nostrum diximus, sed licet in alijs locis di-
 cta, tamen sua sibi reddidimus. Qui licet suam voluisset celare perfidiam, facile illa sese prodi-
 disse. Ex eo quippe libro multa in Apologeticum transtulit Pamphilus, quæ in Rufiniana
 interpretatione desiderantur: velut in eo capite, ubi agitur De coæternitate Filij Dei, & ineya-
 rabilitate eius à Patre, recitatur testimonium istud è libro primo: Videamus ergo quid sit Salva-*